

quidem ipsi verè competunt, prædicatis insignire posse, v. g. scire rem inventam esse *aurum*, plantam esse *mixtum* corpus, planetas esse *multos*, bellum esse *diuturnum*, tabulam esse *longam*, lapidem esse *gravem*, machinam esse *potentem*, vestem esse *pretiosam*; non tamen in nudis illis denominationibus acquiescit: sed ubi primum *quale*, seu *quod tale*, simpliciter ita percepit, quarendo statim perguit, & quidem determinatè, *quàm tale*, ut sic loquar, sit objectum (v. g. quantam auri rationem habeat inventa res, an verum & perfectum sit aurum, an apparens (nedum falsum) & imperfectum? *quàm mixtum* corpus sit planta, *quàm multi* sint Planetæ, *quàm diuturnum* sit bellum, *quàm longa* sit tabula, *quàm gravis* sit lapis, *quàm potens* sit machina, *quàm pretiosa* sit vestis? &c.) omnibusque viribus in id incumbit, ut non tantùm determinatam hanc prædicatorum rationem quasi pro nunc inveniat, intelligatque v. g. *Verum* esse aurum, i. e. omnes auri qualitates in specie tenere, nec ullam desiderari; *perfectum* esse aurum i. e. omnes gradus qualitatum specificarum ad auri naturam requisitarum, omnesque partes ad hoc suppositum requisitas, adesse, nec quicquam desiderari: porro *tam mixtum* (perfectè vel imperfectè) *tam multum* (binum, ternum &c.) *tam longum* (bipedale) *tam grave* (trium unciarum &c.) esse objectum: sed & *modum* sciat, determinatam hanc rationem in diversis prædicatorum generibus diversam, imò in eodem genere non uno semper eodemque modo se habentem, sed plerumque summè variabilem, oblatis quibuscunque casibus definiendi, pariter & applicandi. Non enim Cognitionis rerum etiam determinata suis numeris absolvitur, quando Mens oblatis quibuscunque Casibus nudum definiendi modum, qui per